LAURENTII QUARTERII ANTECESSORIS PISANI PROLUSIO PUBLICE HABITA 6. IDUS MAII ANN. 1814

Lorenzo Quartieri

Digitized by Google

Digitized by Google

Quod bonorum omnium compositis votis precati sumus a DEO OPTIMO MAXIMO, ut sævissimi belli penitus depulsa formidine, horrentes armorum strepitus conticescerent, pristinæ tranquillitatis serenitas affulgeret, ac sub pacificæ olivæ tegmine rursus Italia nostra recubaret, id tandem aliquando summa DEI ipsius miseratione, et numquam defutura Providentia, nos consecutos esse, maxima animi effusione, maximaque lætitia gratulamur.

Cessarunt tandem hostiles minæ, bellica cessarunt opera, Martis cessarunt tumultus, et almæ Pacis vexillum Italis omnibus, nobisque Etruscis præsertim, gratissimum semper, tandem aliquando expectatissimum prodiit, bonorumque omnium pectora tanto gaudio perfundit, ut syncera cordis exultatione deceat exclamare „ *Lauda Jerusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem.* „

Sed si et ab omnibus Gentibus, et omni tempore expetenda pax est, si nihil est boni, quod pace non feratur, pace non crescat, pace non firmetur, quanto magis ad pacis nomen exultare nos decet, nos Musarum Cultores, nos Justitiae Sacerdotes, nos et boni et aequi nobilissimam artem profitentes, quibus et hominum jura intacta servare, et quod suum est cuique tribuere, solemne esse debet?

Digitized by Google

Inter arma etenim Musas silere, Leges mutas esse, tritum est sermone proverbium; et licet primus Albericus Gentilis Italus, et post eum majore pectore magnus ille Grotius, ad instructas acies et castra bellica Justitiæ regulas deducere ausi sint, non semper tamen cum summorum Ducum consiliis, vel saltem cum gregariorum militum licentia, eorum praecepta convenire, infausta nimis experientia jamdiu probatum est.

Hinc factum, ut virginali rubore modeste suffusas, verecundo timore pavidas, et sororio vinculo arctissime conjunctas, veteres Poetae Musas effinxerint: Martem vero, quem bello præesse fabulabantur, ira tumidum, arrogantia inflatum, omnia susdeque miscentem, regna perturbantem, aliena diripientem, gaudentem sanguine, caedisque amatorem descripserint, ut facile innuerent, longo nimis intervallo palladias artes a bellicis tumultibus distare.

Quis procul ille autem, ramis insignis olivae
Sacra ferens? nosco crines, vultumque decorum
Regis Thyrreni . . . . . .

En Princeps vester, Juvenes obsequentissimi, en Thusciæ amor, en populi desiderium, en Magnus Dux noster FERDINANDUS, tribus jam lustris viduae Etruriae tot lacrymis caussa, FERDINANDUS ille, per quem leges sanctissimae in Etrusco solo efflorebunt, per quem detestata matribus bella non amplius fatali delectu invitam Juventutem a pacis studiis avulsam ad caedem et sanguinem traducent, per quem Academia nostra lectissimorum adolescentum alacri concursu cumulata validiores profecto movebit lacertos, et ut de Romano Imperio sub Trajano Principe dixerat Florus, veluti reddita juventute revirescet.

Veniat igitur, quæ tarda semper nobis erit, dies illa fau-

Digitized by Google

stissima, qua Princeps optimus populi sui votis feliciter redditus, postquam bonorum omnium corda non fucato amore complevit, oculos quoque suavissima præsentia recreet, delectet, ac foveat! Veniat FERDINANDUS, et properans veniat!

Sed FERDINANDO reduci quum Etruscæ Juventutis curæ nostræ commissæ rationem expostulabit, quid respondebimus, optimi Adolescentes? Dicemus quidem, Pisanae Academiae Alumnos, vix audito FERDINANDI nomine, ad amplissimum hoc Sapientiæ Templum alacres confluxisse, festivâ illud eâque magnificentissimâ pompâ exornasse, et hinc pictam ejus Imaginem, tamquam dulces exuvias, per sanctiores celebrioresque Urbis locos nobilissimi Triumphi specie circumlatam plaudenti Civitati exhibuisse: Dicemus, eorum curis, et expensis nocturnas Urbani Theatri tenebras in diem quodammodo versas esse: Dicemus, inter effusas gratulantis animi exultationes nullum suavius verbum ab ore eorum prodiisse, quam quod FERDINANDI gloriam præseferret: Dicemus denique, tanto ordine, tantâque publice tranquillitatis conservatione, illa omnia peracta fuisse, ut supremi ipsi Pisanæ politejæ Moderatores solemni Eos approbatione quam honorificentissime cumulare non sint dedignati.

Sed quando Princeps præsentissimus rursus interrogando urgebit, studij, diligentiae, progressus vestri rationem exacturus, quando Theologos bene institutos, qui rebus divinis præficiantur, Magistratus optime instructos, quos Reipublicæ fideliter administrandæ constituat, disertos Jurisconsultos, qui sacræ Themidis mysteria patefaciant, qui Juris nodos, et legum aenigmata solvant, salutaris artis Ministros, per quos morborum catervæ quæ terris incubuerint depellantur, Viros denique in omni disciplinarum genere egregie versatos, quorum sapientiâ,

Digitized by Google

et multiplici eruditione Etruscæ Literaturæ gloria servetur, quando hos omnes Princeps vigilantissimus a nobis requiret, ingrato ne, ac censorio veluti silentio, pectinatim implexis manibus, et demissis in terram oculis, respondebimus? Tantumne vulnus amantissimo ejus cordi infligemus, ut Vobis vel invitus exprobrare cogatur quod Hebraeo populo per Prophetam suum exprobrabat DEUS „ *populus hic labiis me honorat* „?

Absit, egregii Juvenes, spes optima Etruscae gloriæ, generosa divinæ Palladi sacrata pectora, absit ab hac faustissima die tristissima hæc cogitatio, sinistrum hoc absit augurium! Responsum nostrum, Auditores, in manibus vestris est; Nos simplicem et ingenuam veritatem numquam apud justissimum Principem labefactabimus, atque utinam nudæ veritati litare possimus, bonum pro Vobis testimonium secundum fidem et religionem nostram gravissime prolaturi!

Et profecto ad Auditores meos quod attinet, maximo jam gaudio, eoque anticipato perfundor, dum mente recogito, me sine ullo veritatis dispendio, apud sapientissimum Principem, optimum de iis posse judicium perspectâ cognitâque caussâ pronunciare.

Attamen, ne sub veri imagine falsâ decipiar rerum specie, rationes meas vobiscum componere ante omnia necesse est. Legitimas exercitationes ovanti exultatione intermissas perendie prosequi mei muneris erit; Jamvero, donec Academiae nostrae Leges principali auctoritate immutentur, nostis Auditores, meas esse partes Codicis illius doctrinam Vobis exponere, qui ad pristinum *Codicis Civilis* titulum reductus, paucis exceptis supremâ sanctione abrogatis, Legum Etruscarum summam continet adhuc, et quoad summo Imperanti videbitur eatenus continebit. In hac igitur rerum positione quid agam, Optimi Juvenes?

Digitized by Google

Civiles Leges quibus adhuc Etruria nostra gubernatur ac regitur, ad quarum normam Etrusci Cives hodie quoque res suas componunt, quarum auctoritatem Etrusci Magistratus reverentur adhuc, et pro negotiis saltem solido sexennio transactis, longo profecto tempore reverebuntur, civiles inquam leges, quæ jam augustissimo FERDINANDI nomine censentur, ab hoc Sapientiæ Templo, quod FERDINANDO Principe jure lætatur, sine FERDINANDI jussu exturbare, nefas. In abrogatis insistere, inutile prorsus.

Ut res igitur amice procedat, rationes nostras invicem conferamus, et quod erit, legibus non invisum, Auditorum placitum, idem sit et Præceptoris votum. En Vobis optio datur, Juvenes ornatissimi, ut pacata mente, sine ira et studio, sine tumultu et contentione, pensum quodammodo mihi praebeatis.

Dummodo civiles leges, quibus adhuc utimur, ab Academicis exercitationibus nostris penitus non arceantur, dummodo ex duabus viis, quarum utramque solemniter adprobo, Vobisque commonstro, unam teneatis, subcisivis Ego labentis hujus anni prælectionibus voluntati vestrae morem geram quam lubentissime. Eligite ergo Vos, utrum incoeptum jamdiu curriculum ea qua antea methodo, eodemque ordine prosequi debeam, an potius si arbitrio meo committere velitis, ea juris capita identidem enucleanda seligere, quæ progressui vestro maxime accommodata, atque utiliora videbuntur.

Intra præfinitos terminos deliberatio vestra est, Auditores, mihi jussa quodammodo capessere fas erit. Sed quæcumque futura sit consultatio vestra, illud solemni praefatione Vos admonitos esse volo, me nullum umquam verbum ex hoc amplissimo loco prolaturum, quod studiis vestris fovendis, laboribus sublevandis, asperitatibus molliendis, non fuerit omnino necessarium.

Digitized by Google

Macti igitur animis, macti virtute, ornatissimi Adolescentes, post festos dies publica exultatione peractos, sensus vestros exundanti lætitia effervescentes ad placidæ quietis normam iterum componite, pristinam tranquillitatem ad pacatam hanc Musarum sedem afferte, et ad literarij stadij curriculum feliciter transigendum, fervidis rotis scopulosâ metâ evitatâ, novum producite vigorem, novasque in dies capite vires, ut Laurea illa Apollinaris, qua signa vestra gloriosissime et magnificentissime distinguebantur, vere sit frontium vestrarum non fluxum, non caducum, non temere usurpatum, sed firmum æternumque virens, legitimum debitumque proemium.

Votis respondeat eventus, curis meis et diligentiæ vestræ faveat, atque utinam faveat, sacrum Themidis Numen, Nosque omnes in unum idemque studium incumbentes, in Etruscam videlicet felicitatem, par gloria coronet!

583589

Digitized by Google